Barlæo. Spectatissime Domine. (96)

Quam adversus me querelam instituis inofficiosi, communem causam agis, cum plerique amicorum, in eodem apud omnes reatu sedeo. pari acerbitate undique exagitor, nisi quod solus, tu in Digesta et Codicem impegisti, Medicinæ Doctor, et abstrusissima simul Theologiæ mysteria. Cæteris fuit quod referrem. Tibi si nec respondeo, nec culpam excusare aggredior quidem, scito non eum esse me, ~~qui~~ cui cum trium Facultatum Proteo res sit. Dij boni, Barlæe, at tu jam de triplici armatura selige, quâ pugnandum putes. Nam ut me Iuridicè defendam, a latere Medicus, a Tergo Theologus, ut isti hominum pugnacissimi mortalium habentur, insultes, tandem de me quid futurum sit, levis armaturæ equite, et imbecillimo tironum! Ergo ego Comicè hic dissimulo, quod nec Stoicè (tantus animus est) fram. Quid si piscem emisses, inquit canis ille, cum novo domino assurgere recusaret: Quid si lapidem diligeres? puta me dicere: is ingenij torpor est mei, ea subinde desidia. denique ~~nisi~~ nisi exciter quam sæpissimè aut pungar, indormio, ut ita loquar, amicitijs, et nescio quo gelu obstupesco; resolubilis tamen, siquâ in re accidat, ut operâ meâ amici indigeant, quod nemo quod sciam frustrà speravit. In cæteris ad normam officiorum frustrà me Cicero exploret. Commodè diligi atque amare cupio, ut si fortè verbo non addito, chartas hasce remisissem, mirari te noluissem, minimè verò suspicari perperam ergâ te affectum meum. Nam de silentio quod sollicitus fias, parum causa est, veniet quam non speraveris hora, quam non timueris inquam, quæ suâ loquacitate damnum sarciet! Prout aut Saturnus quidem aut Jupiter aut inferiora sidera diei præsunt, arbitror magis alacrem reddi hanc manum aut magis pigram. En ego te somnijs detineo, quæ quid sibi velint, toto titulo de Usucap: non invenias. Ad summam, si de chartis quærere pergis, quamobrem remissæ non fuerint; respondeo, quia is ego αὐτός, qui potui non remittere: Euge ad Digesta, et Codicem Barlæe, Ad Novellas autem et Extravagata, nam hic nova argumentandi ratio est. Tandem seriò literas et Poemata ista (æs omne Corinthium) remitto, si quid peccatum est, veniæ sit locus, apud ipsam humanitatem, perpetuam contubernalem tuam. Variè distractus fui, et quod dixi ab initio, ~~qui cessantem non~~ nullus est inter amicos qui cessantem non increpuit, meritò ~~an~~ an injuriâ ipsi

velim

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 25v-26r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/422

velim arbitri sitis, apud quos unum hoc superest quod allegem, sextum abire mensem, ex quo Totum, delicias meas, ut exprobrasti, non tracto; ne soli vobis cessare credatis hominem, qui rarissimè juris sui. Pietatem tuam, profundissimæ eruditionis comitem in Hymnodito calidè exosculor, Nam ita me, quem celebras Deus amet, in heroicæ facundiæ nobilissimum argumentum detonuisti, præcipuè verò quam puræ latinitatis capax materia sacrorum nostrorum sit, luculenter designasti, rem nulli satis commodè, me judice præstitam, si Heinsium de contemptu mortis excipis. Ubi coram disserendi copiam feceris (quam nimis Hagæ invides) verbotenus exponam ubi maximè me affeceris, ubi segnius commonueris. Etenim est et apud imperitos nos rerum utique bonarum quidam quasi pro autoritate delectus, et ~~ut~~ magnis ubique major sis, ~~et~~ est ubi te superas, est ubi non assequeris. De Heinsio quæ pridem decantasti, tandem ut evulges, æquum est. Quandoquidem in portu Desonem tenemus. Incredibilem argenti vim attulit, auri penè nullam. Tu aureas merces tuas in supplementum adde: Jam de Electro triumphabimus ~~phabibus~~. Vale vir summe et Amicissime et si Hugenium amas, quæso quod ab alijs ægrè feras uni ignoscendum puta, quid enim si piscem emisses? Scripsi temerè ac tumultuario. Hagæ Comitis 6. Jan. 1628.

C. Hugenius.

Nudius tertius ad cœnam Heinio adfui et animum hunc infinitis quæstionibus egregiè explevi. Vir est Barlæe, et is cui summi Poetarum operam dignè impendant:

(97)

Barlæo. S. P.

Primum illud mirari me sine, Mi Barlæe, quod Poematum tuorum et literarum venetarum, quæ omnia ante octiduum remisi, mentionem non facis. Satis enim anxius, eâ de re fui, cum has ultimas tuas perlegissem, et admodum scire velim, ecquid rectè tradita fuerint, ut si quid aurigæ neglexerint, tempestivè inquiram. Nunc de Heinsio quod rogas, ita se res habet. Postridiè illius diei, quem Haga triumphalem habuit, vel quasi, postquam Principi meo ad prandium adfuisset~~a~~, protinus decessit Leidam, ut opinor, ubi ad cœnam, ut relatum fuit, publicè exceptus, postero die Amstelodamum profectus est. Ab illâ urbe quando decesserit, mihi non constat. Illud certum est, aliquot exinde dies Rotterodami hæsisse. Inde

si